

conditio vel jure impossibilis, addita actui inter vivos viliat. Fagn., *De jurepatron.*, part. II, can. 12 et 13, cas. 5, n. 6 et plur. sequent.; Gagliard., eodem tract., cap. 16, numer. 10; Rot. cor. Emer. jun., decis. 100, numer. 3; coram Crisp., decis. 335, numer. 14. (44. Posteriori vero casu firma manet presentatio, ipsumque pactum habetur pro non appposito. Cardinal. de Luc., *De jurepatronat.*, discurs. 48, fer. per tot., et card. Lanfredin. (45. *Respons. eccl.*, 2, pariter fere per tot., qui una tradit, quando mox dictum pactum appositum dici queat per viam conditionis et quando per viam modi: confutaturque in hoc cardinalem de Luca; et quidem non immerito.

(46. Quid, si reservatum fuerit beneplacitum Apostolicum? Interest pariter scire utrum fuerit pactum adjectum per viam conditionis, an per viam modi. (47. Nam priori casu beneplacitum accedere debet intra quadrimestre, ut sustineatur presentatio; posteriori vero potest supervenire, elapso ipso quadrimestri. (48. Lanfredin., *ubi supra*, Piton., *De controvers. patron.*, allegat. 56, num. 5, Rot., coram Crisp., dec. 335, num. 14 et seq.; in *Faventina beneficiorum* 5 Martii 1736, § *Et quod attinet*, cor. bon. memor. de Vais.

(49. Quod si ex aliquo impedimento, puta secuta interim vacationis Sedis Pontificiae, impetrari nequit beneplacitum, an subduci debeat tempus impedimenti, magna quaestio est? Rota nec assumere voluit hunc articulum in *Regien. benef.* 4 Jun. 1759, cor. R. P. D. Ratto. Proposita vero denuo fuit haec causa die 2 Jun. hujus anni 1760, a R. P. D. Cornelio. Sed an in hac altera propositione deciderit articul. videbitur edita decisione.

(50. Coronidis loco ea hic examinanda est quaestio, an hodiernis moribus alter alteri pacisci possit hoc effectu, ut illi inde competat actio. Negat post alios Carpov., *Jurispr. forens.* par. II, constitut. 33, definit. 25 et sequent., qui retinendam autumat et hodie definitionem juris civilis. At affirmant Bruneman., ad l. 23, in fin. ff. *De pact.*; Mev., par. IV, dec. 112, n. 2; Christin., vol. III, dec. 35, num. 12. Adde Græneveg. et plures ab eo citatos ad § 18 *Instit. de inutil. stipulat.*

#### ADDITIONES CASINENSES.

Traditis a Lucio nostro sub n. 12 h. artic. quod nempe, interveniente auctoritate superioris, puta Papæ vel episcopi, ex gravi causa id concedentis, licite possit pars cedens liti super beneficio exortæ recipere aliquid temporale, non quidem in compensationem sui juris, si quod in beneficio habeat, cum hoc sit simoniacum, sed propter aliquam justam causam (prout etiam rite tenent Reiffenstuel, *De pactis*, § 3, n. 70 alique); non supervacuum sit addere, quæ sapientiss. Benedictus XIV habet per modum normæ, ac regulæ generalis, in *Inst. Eccles.* 93, quam hic integram exscribere placet. Est porro hujusmodi.

#### EPISTOLA AD VICARIUM GENERALEM HABITA.

« *Utrum simoniæ labe afficiatur is qui pecuniam largiter impendit, ut se lite eximat, in causis beneficialibus. Quænam requirantur, ut hoc jure fieri possit. De arbitris causarum ad beneficia spectantium, et cuiusnam præcipue rei animum, mentemque adjungere ipsi debeant.*

« 1. Cum in ecclesia collegiata hujus diocesis vacatio contigerit canonicatus de jure patronatus laicalis, suisque suffragiis patroni inter se maxime discrepaverint, qui diversos omnino clericos nominarunt, his excitata est inter ipsos electos ad beneficium, in qua tanquam iudex ordinarius, cujus est rem primo dijudicare, sententiam clerico A propitiam tulisti. Clericus autem B ad sac. Romanæ Rotæ tribunal ab hac sententia provocavit, ubi, causa bis proposita, nihil definitum fuit. Quamobrem clericus idem B post gravissimas expensas rationibus etiam suis parum confidens, pollicitus est competitori se cessurum esse causæ, si pecunia, quam in peragendo hoc iudicio solverat, sibi redderetur. Id minime iniiciatur clericus A qui, remoto competitori, nequaquam dubitat quin unanimes patroni sibi tantum suffragentur: sed monitus fuit cavendum esse magnopere ne veræ simoniæ labem contraheret, si eam pecuniam restitueret. Qua de re consilium a peritissimis viris postulavit, iique responsum ejusmodi fecerunt, unum vel plures arbitros accersiri posse, qui iudicarent abdicandum esse a clerico B, ipsique pecuniam expensam a clerico A persolvendam, quod rite cum arbitris constitui posset. Heri vespere, cum nos de more convenires, opinionem nostram super hac re poposcisti, eamque breviter nunc explicabimus. Ac primum, cum agitur etiam de beneficiis, lites numerata pecunia licite dirimuntur; negotium tamen, de quo agitur, componi hac ratione nequit, quin simoniæ labe intercedat. Quamobrem ab æquitate alienum est consilium quod nuper exposuimus, idque clericis iisdem dissidentibus statim patefacies. Nos pariter de errore, in quo versantur maximo, ipsos ad nos accitos clare graviterque admonebimus.

« 2. Lites numerata pecunia dirimi posse affirmavimus, quod Cælestini III præclara decretali comprobatur, cap. *Dilect.* 27, De Simonia, etenim præpositus Eboracensis suo archiepiscopo pecuniam erogaverat, ut finem molestiis faceret ob quædam beneficia, quibus præpositus ipse fruebatur. Qua de re Pontifex arguit vehementer archiepiscopum, qui, post datam fidem acceptamque pecuniam, præpositum novis molestiis persequeretur; nec iisdem litteris Cælestinus III præpositum improbat, quia pecuniam ob eam causam tradiderat; ex his constat pecuniam licite solvi posse, etiam cum de beneficiis res agatur, ut litigiis aditus occludatur.

« 3. Porro id ecclesiasticæ historiæ monumentis exemplisque corroboratur. Pro-

ditum est ab Odoacre rege Herulorum, qui totam Italiam invaserat, tributum Romano Pontifici imperatum fuisse antequam pontificatum susciperet: eandem legem et institutum Gothorum reges, qui deinde Odoacri successores sunt, per maximam vim et injuriam retinuerunt. Justinianus Augustus idem tributum elicit, asserens quod imperium simul et jura Gothorum obtineret. Injustissima hæc consuetudo ad Constantinum IV imperatorem permansit, qui *Barbatus* vulgo nuncupatur. Ipse S. Agathonem Pontificem, et cæteros in posterum, qui ad gerendum pontificatum eligerentur, ab ejusmodi tributo vindicavit. Anastasius Biblioth., in *Vita S. Agathonis*.

« 4. Cum S. Gregorius Pontifex omnium suffragiis renuntiatus hunc honorem declinare vellet, ad Mauritium imperatorem litteras dedit, ipsumque maximo studio rogavit ne suam electionem confirmaret. Hæc tamen epistola intercepta fuit a Germano Urbis præfecto, qui ad Mauritium scripsit gravissimis verbis ac sententiis, commune bonum ac felicitatem id requirere, ut summa Ecclesiæ regendæ potestas Gregorio traderetur. Quamobrem Mauritius, qui Gregorii virtutem cognitam satis ac perspectam habuerat, cum ille Constantinopoli versaretur, ejus electionem probavit. Joannes Diaconus, lib. I *Vitæ S. Gregorii*, c. 39 et seqq. Itaque S. Gregorius, coactus rerum administrationem suscipere, iniquum tributum solvere non prætermisit.

« 5. Idem Pontifex gravissime queritur lib. X, cap. 1 *Gallicæ Historiæ*, etc., de hujus tributum conditione, et Mauritium imperatorem vehementer redarguit. In dubium tamen vocatur an commentaria, quibus ejusmodi querimoniæ continetur, S. Pontifici Gregorio tribuenda sint. Graveson, t. II *Historiæ ecclesiast.*, pag. 323; Cave, in *Histor. scrip. ecclesiast.* Nam Cave potissimum advertit, eam scribendi rationem haud S. Gregorio Magno, sed S. Gregorio VII potius convenire; quam opinionem Thomassinus quoque amplectitur, uti inferius demonstrabimus. Hanc igitur controversiam missam faciemus, et id solum quod Christianus Lupus scriptum reliquit, tom. III in *Concil. general.*, 1 edit., pag. 127, commemorabimus: « Persolvit tamen optimus Gregorius, quod nempe, nec Papatum declinare posset, nec principis avaritiam moderari. Solus princeps, non ipse fuit simoniacus, quia iniquam atque inevitabilem vexationem redemit. » Idem etiam exemplo Constantinopolitani patriarchæ magis ostenditur, qui postquam designatus est, ordinari nequit, nisi tributum antea Turcarum præfecto exsolverit: Quippe: « Non ea crimini (ait Thomassinus *De benef.*, par. III, lib. 1, c. 60, n. 10) vertenda est Græcis necessitas tributum, sed in ambiendo certatim Patriarchatus culmine nefanda cupiditas, qua ad majus in dies tributum solvendum ultro prosiliunt. »

« 6. Postremo affirmavimus, lites etiam circa beneficia componi quidem posse, si

pecunia numeretur; id tamen accommodari nullo modo posse causæ, quæ nunc in disceptatione versatur. Nam rerum ejusmodi scriptores inter cætera quæ necessaria putant, ut liceat pecunia finem imponere dissidiis circa beneficia, illud præ cæteris requirunt, ut qui solvit pecuniam, non tantum jus ad beneficium, sed jus in beneficio obtineat; quæ sane conditio ex decretali Lucii III desumitur, cap. *Matth.* xxii, *De simonia*. Admonitus fuerat Pontifex quemdam clericum ad dignitatem ecclesiasticam electum *paucis contradicentibus*. Perceperat etiam quod, eodem clerico sciente ac probante, ipsius amicus « ei, qui discordiæ magister videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, et sic, quam prius sustinebat, contradictio quievit. » Quam ob causam electo clerico Pontifex indicit, ut dignitatem quamprimum dimittat, eaque sententia utitur: « Nihil prodest homini, si unicus versum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiat. » Canonum interpretes simul conferunt superius allatam sententiam in cap. *Dilectus*, *De Simonia*, cum hac Lucii III in cap. *Matthæus*, pariter *De Simonia*, atque unanimes advertunt fuisse jus in re pro beneficiis, si prima illa sententia spectetur: si vero secunda perpendatur, fuisse jus ad rem, nempe ad dignitatem, quod sane jus imperfectum existimatur. Quippe minor pars, quæ ad eligendum clericum non consenserat, litem instituire, ac rationes proferre poterat, ne electio illa confirmaretur. Gonzalez, cap. cit. *Matthæus* 22. Id apertissime tradit S. Thomas 2-2, q. 100, art. 2, ad 5: « Antequam alicui acquiratur jus in episcopatu, vel quacunque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniæ cum esset adversantium obstacula pecunia redimere, sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam; sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedita menta removere. » Et quarto *Sententiar.*, dist. 13, q. 4, art. 2, quaestione 1, ad sept. « Si non est sibi acquisitum jus per electionem, nullo modo potest pecuniam dare adversario, ut desistat. Si autem est ei acquisitum jus, potest aliquid dare, non ut pretium prælationis, sed ut redemptionem vexationis propriæ. » Sic autem S. Raymundus sanctissimi doctoris discipulus idem testatur, in *Summ.*, a lib. I, tit. 1, *De Simonia*, § 20.

« 7. Altera conditio, quæ pariter exigitur, ut liceat pecunia dissidium circa beneficia componere, in eo posita est, ut jus clare suffragetur illi qui pecuniam solvit, et injuste vexetur ab eo qui pecuniam accipit. Quod si aliter fuerit, qui pecuniam expendit, non animi tranquillitatem et quietem eo pretio sibi comparat, quæ inter res temporarias recensentur, sed jus quoddam in rem spiritualem pecuniæ vi sibi conciliat; equidem S. Thomas eo loco quem nuper memoravimus, pro certo has duas condiciones interponi statuit: « Injusta im-

« pedimenta, et jus in re manifestum; » iisdem fere verbis utitur S. Antonius part. II *Summ.*, tit. 1, cap. 4, in fin., § 2: « Quinto, ratione redimendæ vexationis, et antequam jus acquiratur alicui in beneficio vel dignitate, non licet dare ad redimendam vexationem suam, alias simonia esset; sed postquam fuerit adeptus, et jus sibi acquisitum, vexationem sibi injuste factam super ecclesia, vel beneficio, vel dignitate, licet pecunia redimere, sed non justam vexationem, ut si juste accusaretur, vel hujusmodi. » Ob has causas *injustissimæ vexationis, et apertissimi juris*, Summi Pontifices tributum absque simonia persolvebant, ut ipsorum electio ab imperatoribus confirmaretur. Ob causas easdem Jacob improbandus non videtur, qui ab Esau jus primogeniti sibi comparavit: « Jus (inquit S. Thomas, 2-2. q. cit. 100, art. 4, in respons. ad quintum « argument.) primogenituræ debebatur Jacob ex divina electione... et suam vexationem redemisse intelligitur. »

« 8. Cum hæc ita se habeant, si hæc omnia conferre velis cum causa de qua agitur, certo deprehendes a veritate alienum non esse id quod initio diximus, pecuniam solvi jure posse ad lites circa beneficia componendas, id tamen quæstioni, quæ in medium adducitur, minime suffragari. Nam, ut pecuniam liceat exsolvere, non debet intercedere *jus ad rem, sed in re*, illudque aperte constet necesse est. Insuper injustam vexationem competitoris, qui pecuniam accipit, manifeste probari oportet. Clerici vero B et C *jure ad rem* solummodo præditi sunt, si ratio *præsentationis* habeatur, quæ de utroque per legitimos dominos facta fuit. Neque *ullum jus in re* clericus A consequitur ex prima sententia, quam propositam retulit, cum interposita fuerit provocatio ad alios iudices, qui rem totam secundo loco dijudicare possunt, idque primæ sententiæ effectum impediverit. Postremo, quis affirmare unquam valeat jus certum et manifestum a clerico A possideri, ipsumque a clerico B competitore certissime atque injuste vexari? Siquidem contrarium desumitur ex eo quod hæc causa bis proposita fuit in sacro Romanæ Rotæ tribunali, ubi, post accuratam disquisitionem, nihil peculiare sancitum est.

#### PACTORUM (DE) INTERPRETATIONE.

##### ARTICULUS III

###### SUMMARIUM.

1. In quolibet legis articulo nihil est tam necessarium quam recta interpretatio: quod idem in pactis locum habet. — 2. Afferuntur regulæ decem pro pactorum, et conventionum interpretatione, ad n. 11.

(1. In quolibet legis articulo nihil tam necessarium est quam recta interpretatio. Idem profecto contingit in pactis, quæ si recte non interpretentur, plerumque contra

« 9. Sed jam de consilio eligendi arbitros pro dirimenda hæc controversia verba faciamus. Qua ratione id excogitatum fuerit intelligere sane non possumus. Nam si ipsi iudicium æquitati consentaneum ferre velint, illud procul dubio expendere debent, utrum clericus A *jus habeat ad rem, vel in re*, an illud manifestum sit; utrum tandem a clerico B injuste divexetur, atque ita causa reducitur ad eadem principia quæ modo exposuimus, ipsique arbitri fateri cogentur haud licere pecuniæ solutione hanc litem componere.

« 10. Si qui consilium hoc dederunt, parumper in jure canonico versarentur, haud novam et inusitatam esse deprehenderent ejusmodi arbitr. electionem. Alexander III cap. *Non sine*, De arbitris, nequaquam pecuniam in causa beneficii solutam improbat, quam delecti arbitri constituerant. Insuper canonum interpretes in cap. eod. *Non sine*, De arbitris, docent æquum esse laudum ab arbitris præscriptum, si jus pecuniam solventis manifestum appareat; injustum vero laudum, si pecuniam solvens omni jure careat; postremo dubium esse laudum, et simoniæ speciem præ se ferre, si dubium jus obtineat, qui pecuniam erogat. Item tradunt, arbitros accersendos esse ab episcopo, qui rationes laudi ab illis exposcere debet, illudque vel probare, vel rejicere juxta leges quæ a jure pontificio decernuntur. Fagnanus, in eodem cap. *Non sine*, a num. 3 ad 9, sub titulo De arbitris.

« 11. S. Carolus Borromæus de hac re sapienter et æquissime judicavit part. II, *Constitut.*, cap. 11, in primo provinciali concilio, quod Mediolani celebravit. Sic enim statuit: « Ne redimendæ vexationis » specie in causis beneficiorum simoniæ » pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam vexationem, ne in casibus quidem jure permissis pecuniam dare, quidquamve pacisci aut transigere, nisi episcopi consensus accesserit, cujus partes erunt, et perspicere diligenter an subsit aliqua fraus; et ubi rem fraude carere, et jure permissam esse cognoverit, non denegare ei, qui petierit, facultatem se a vexatione liberandi. » Hæc habuimus, qui tibi, etc. Ita, in terminis prælaud. Pontif., inst. cit.

paciscentium voluntatem iudicium fertur. Quare non abs re duximus adjungere saltem brevem de interpretandis pactis tractatum, sive potius decem proponere regulas, ex quibus aliæ etiam poterunt proponi.

(2. Primam regulam habemus ex Paulo in l. 21, ff. *De reb. dub.* « Ubi est verborum ambiguitas valet quod acti est; » veluti ea interpretatio sumenda est, quæ, quod actum, gestumque est, conservet. Conservatur autem, seu ut mox ait jurisconsultus, *in tuto est res*, de qua actum est, quando id-

ipsum quod voluerunt contrahentes efficiatur; hoc ergo in primis quærendum est. Et si id non possit aperte percipi, aliquis saltem debet esse pacti effectus, quem verisimile sit contrahentes voluisse; « veluti cum stichum stipuler, et sint plures stichi, vel hominem, vel Carthaginem, cum sint duæ Carthagine, semper in dubiis id agendum est, ut quam tutissimo loco res sit bona fide contracta, nisi cum aperte contra leges scriptum est. » Idem statuit Ulpianus in l. 80, ff. *De verb. obligat.* « Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, qua de agitur, in tuto sit. »

(3. Secunda Regula: « In conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit. » L. 219, ff. *De verb. signif.* Hæc tamen regula ita ibidem declaratur. « Cum igitur ea lege fundum vetigalem municipes locaverint, ut ad hæredem ejus, qui suscepit, pertineret, jus hæredum ad legatarium quoque transferri potuit. » Licet enim hoc casu conventionis verba hæredem tantum contineant, voluntas tamen contrahentium cum debeat prævalere verbis, evidens est conductorem posse quovis titulo, ad quem libuerit, jus suum transferre.

(4. Tertia regula: « Hæc ex prioribus aperte consequitur; quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipiatur, quæ rei gerendæ aptior est. » L. 67, ff. *De reg. jur.* Hujus regulæ exemplum habes in l. 7, *De contrahen. empt.* In allato textu legitur *rei gerendæ aptior*, nam plusquam probabile est contrahentes aliquid, quod ad effectum perduci posset, non vero vanum aliquid voluisse.

(5. Quarta regula: « In obscuris inspicere solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. » L. 114, ff. *De reg. jur.*

(6. Quinta regula: « Semper in stipulationibus et in cæteris contractibus id sequimur quod actum est; aut si non appareat quod actum est, erit consequens ut id sequamur quod in regione in qua actum est frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, qui varius fuit? Ad id quod minimum est, reddenda summa est. » L. 34, ff. *De reg. jur.*

(7. Sexta regula: « Cum quæritur in stipulatione quid acti sit, ambiguitas contra stipulationem est. » L. 26, ff. *De reb. dub.*, quod confirmatur etiam iisdem fere verbis in l. 38, § 18, ff. *De verb. oblig.* Hæc eadem regula, quæ obtinet in stipulationibus, locum etiam habet in reliquis contractibus. « Hinc in contrahenda emptione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. » L. 172, ff. *De reg. jur.* Obiter nota: « Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit. » D. l. 172, § 1. In hoc textu opponuntur judicia conventionibus. In conventionibus fit interpretatio contra eum qui sibi pactus est: in judiciis vero ambigua intentio pro auctore recipit interpretationem, ut in ambiguo non videatur petiisse, quam quod jus petendi ha-

beret, ne causa cadat. Allatam regulam confirmant Paulus et Papinianus in l. 21, ff. *De contrahen. empt.*, et l. 39, ff. *Hoc tit.* Hujus sextæ regulæ si quæris exempla, quamplura reperies in corpore juris, præsertim, in l. 30, ff. *De servit. præd. rust.*; l. 33, ff. *De contrahen. empt.*; l. 17, § 3 et 4, ff. *De servit. Urb. præd.*; et in l. 39, ff. *De contrahen. empt.*

(8. Septima regula: Cum verba conventionis aperte favent ei qui sibi pactus est, non oportet ab eis recedere. Hinc est, quod « si stipulatus fuero de te, vestem tuam, quæcunque muliebris est, dare spondes? magis ad mentem stipulantis, quam ad mentem promittentis id referri debet: ut quid in re sit, æstimari debeat, non quid senserit promissor. Itaque si solitus fuerat promissor muliebri quadam veste uti, nihilominus debebitur. » L. 110, ff. *De verb. oblig.* Cum enim re ipsa sit muliebris, non ideo minus censebitur esse muliebris, et in stipulatione contenta, quod vir ea uteretur. Super hæc et præcedenti regula omnino omittenda non est lectio l. 99, ff. eod., quæ utramque complectitur et declarat regulam.

(9. Octava regula: « Quamvis aperta sint verba quæ ex priori conventionis parte leguntur, ad alium, quam præ se ferunt, sensum detorquebuntur per ea quæ in posteriori parte scripta sunt. » L. 126, ff. *De verb. signif.*, et passim Rota.

(10. Nona Regula: « Quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, jus commune non lædunt. » L. 81, ff. *De reg. jur.*

(11. Decima regula: « In orationibus quæ conventiones exprimunt, eadem forma loquendi pro subjecta materia varie accipitur. » Et quidem primo: « Hæc verba, *ille aut ille*, non solum disjunctivæ, sed etiam subdisjunctivæ orationis sunt. Disjunctivum est: veluti cum dicimus: *aut dies, aut nox est*, quorum positio altero, necesse est tolli alterum: item sublato altero, poni alterum. Ita simili figurazione verbum potest esse subdisjunctivum. Subdisjunctivi autem duo sunt genera. Unum, cum ex propositis finibus ita non potest utrumque esse, ut possit neutrum esse: veluti cum dicimus, *aut sedet, aut ambulat*. Nam ut nemo potest utrumque simul facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is qui accumbit. Alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neutrum esse, ut possit utrumque esse: veluti cum dicimus: « Omne animal aut facit, aut patitur. » Nullum est enim quod nec faciat, nec patitur: at potest simul facere et pati, l. 124, ff. *De verb. signif.* Secundo: « Oratio quæ neque conjunctionem, neque disjunctionem habet, ex mente pronuntiantis, vel disjuncta, vel conjuncta accipitur. » l. 28, ff. eod. Conjunctionem enim nunquam pro disjunctione accipi Labeo ait, ut in illa stipulatione, *mihî hæredique meo; te hæredemque meum*. L. 29, ff. eod. Tertio: « In usu juris frequenter uti nos Casellius ait singulari appellatione, cum plura generis ejus-